


IN LAVDEM HENRICI IV. CHRISTIANISSIMI GALLIARVM ET NAVARRAE REGIS.

Carmina.

Inter publicas Roberti Fidelij Ariminen. disputationes cantata.





ROMAE, Apud Aloysium Zannettum. MDCIII.

SVPERIORVM PERMISSV.



HENRICVS IIII
D·G·
GALLIÆ ET NAVARRÆ
REX
CHRISTIANISSIMVS

IN LAVDEM HENRICI IV. Christianiſsimi Galliæ, & Nauarræ Regis Carmina, inter diſputandum cantata.

CHORVS. I.



TTICAS inter modulata rixas
Bella Celtarũ, Phrygiæq; magnos
Galliæ partus Cithara remiſce
Muſa FIDELI.
Mater ò ſalue generoſa Regum,
Mater Heroum; tibi ſemper vni
Naſcitur Regnis Procerum, Ducumq;
Apta propago.
Talis vmbroſa properans ab Ida
Suſtinet turres Cybele minantes
Cœlites centum, Superumque centum
Fœta maniplos.
Nulla ſed proles Phrygiæ parentis
Certet HENRICO nimis auſa Regi,
Bina qui quaſſat, geminiſque iungit
Sceptra Coronis.
Prima quæ cantu ſequar, aut relinquam
Vltima Orphæis celebranda chordis?
Quæ prius puro iubeam vagari
Tramite mundi?
Dicam an vt cœli genitus ſub auras,
Aſperum tangi manibus colubrum

Paruus elisit puer, absciditq;
Colla cerastæ?
I puer faustis auibus pericla
Inter, & mortem, tibi nil nocebit
Liuor Alcidi minitatus altò
Dixit Haruspex.
Iam fidem fecere bene ominatis
Facta, pennatæ celebrata Famæ
Cantabros inter, Senones & inter
Inter & Andes.
Herculis ritu sine fraude vicit
Regna terrarum vagus, & paterno
Redditus sceptro, placida Penates
Pace beauit.
Adde nunc lauro socias oliuas
Victor, & bello studium Mineruæ:
Sic leues inter colitur Camoenas
Herculis ara.

CHORVS I.

SOLERTIS SAPIENTIA,
O fœtura Promethei,
Græcis culta sub atrijs,
Atticisque Lycæis,
Ne tubæ strepitum fuge,
Neu Gallæ Berecynthiæ,
Arma Celtica, matribus
Formidata Britannis.
Non te parma, nec aspera

Aegis Gorgone dedecet;
Non te pectora, lamina
Lorycata trilici.
Sic te munijt Attica,
Sic te GALLIA diligit,
Martis hoſpita GALLIA,
Hoſpes illa Mineruæ.

CHORVS III.

VTCVMQVE meos aſpicis auſus
HENRICE Ducum maxime Ductor,
Meque ſub altæ moenia Piſæ
Ducis ad amplæ præmia laudis.
Qualis trita Caſtor arena
Elea leuis bella laceſſam;
Cruda qualis gymnade Pollux
Fugiam doctæ lora Terapnes.

CHORVS IV.

BELLATA Celtis prælia
Neruis parabam flectere,
Et Carolos iam cœperam,
Iam Balduinos dicere;
Iam Ludouici claſsica
Mari timenda Punico,
Et quæ molari moenia
Gotfridus Vrbis diruit.
Sed nec Duces, nec prælia

Tam prisca respondent fides;
Te reddit vnum barbiton
HENRICE Regum maxime.

CHORVS. V.

NON Daphnidem, non Pausiam
Sinam capillo serpere,
Sed flaua Regis lilia
Campo resecta coerulo.
Non hos Atlantis Insulæ,
Non hos Adonis hortuli,
Fœcunda non hos areis
Corcyra flores educat.
His sæpe compta scilicet
Victrix triumphat GALLIA,
His impedita Pieris
Pæana Gallis occinit.

CHORVS VI.

PACIS æternæ patere o corollas
MAGNE REX inter viridare lauros:
Fronde nam crines amat impedire
Pallas vtraque:
Pace quin gaudes niuea rebelles,
Pace qui dones, iubeasq; Ciues
Esse, quos bello domuisse remur,
Hercule maius.
Talis Alcides domuit nocentem

Creticis Taurum populis, nec vltra
Sæuijt, DIGNVM DVCIBVS, DEO-
QVE EST
PARCERE VICTIS.
Nec ferox hostes minus in superbos
GALLVS ALCIDES fuit,& duello
Nescios vinci superauit aurea
Arte Gigantes.
Fregit erectos nimium,malisque
Fraudibus Regum capita appetentes;
Fregit insanos,& iniqua semper
Bella nouantes.
Arcadum qualis,Nemeæque monstrum,
Qualis informem pecoris magistrum,
Qualis Antæum malè funerauit
Maximus Heros.
Hoc decet mitem,decet hoc seuerum
Imperi Regem:voluisse victis
Parcere,& gentes abolere cruda
Cæde superbas.
Perge;sic cœlum pete.sic in astra
Itur,& sedes Superum tenentur,
Sic tibi semper rediuiua surget
Fama superstes.
Ante sed Gallis sociata turmis,
Ductor in Thraces inimica verte
Signa,quæ patres timuere Campis
Sæpè Latinis.

ROBERTI FIDELII ARIMINENSIS.

Præfatio dicta ſub initium diſputandi ad Cardinales.



E FORTVNA; qui locus in poſitionum ſerie fuit à me prætermiſſus, breuiter, ac ſtrictim, veſtra cum venia, (Cardinales Ampliſsimi) libet hac proluſione certaminis explicare. Naſcatur igitur indè quæſtio, vnde ſuſcepta rerum obſcurarum inſtitutio duci ſolet, quæraturque, ſit Fortuna necne, hoc eſt causa quædam incerta, temeraria, inconſtans; atque, vt ſemel dicam, extrinſecus, ac foris accedens. Nam Fortuna illa hera, & domina rerum, & cui gentium ſuperſtitio diuinitatem adſcripſit, vel ab ethnicis Sapientibus ſatis exibilata videtur: & quæ à Stoicis, vt eſt apud Simplicium, cauſa humanæ menti minimè nota putabatur, exploſa eſt à Lactantio, quaſi ridicula, & iocularis: quæ denique ab alijs per orbem diffuſa vis credita eſt, à qua in alteram partem impelleretur animus, cum in deliberatione penderet incertus, ridetur à bonis Philoſophis, veluti quorundam commentum, qui velint in re ſtulta, vt dixit ille, videri ſapientes.

His ergò Fortunæ notionibus è diſputatione depulſis, illud in quæſtionem cadit, vtrum aliqua cauſa ſit, quantumuis externa, atque aduentitia, cui Fortunæ nomen ſit imponendum;

& qua-

& quatenus humanis concedenda rebus videatur. Video enim placuisse Pythagoræ, Stoicisque, nihil cadere Fortuna; sed omnia certis ex causis, necessarijsque manare: Contra Leucippo, Democrito, atque Epicuro, nihil esse in rerum vniuersitate, quod Fortuna non regatur & Casu. Sed statuo cum Aristotele, ac Platone, auctoribus sapientiæ, neque omnia fluere Casu neque nulla, sed quædam esse, quæ ad instabilem Fortunæ causam omninò referenda videantur. Quæ cum dico, nullam diuinæ sapientiæ, cui nihil fortuitum est, habeo rationem, sed prudentiæ nostræ, qui veluti pusillæ intelligentiæ animantes, paucissima in tanta rerum vicissitudine prouidemus: Quot enim sunt, quæ nec opinantibus nobis eueniunt, & quidem è causis, ex quibus fieri non debuissent? ista videlicet nobis fortuita sunt, & quæ, nisi referantur ad Casum, nullam habeant causam, à qua nascantur. Docet id vel ipsa gentium, hominumque consensio, qui vulgò Fortunæ, Casusque nomina ijs attribuunt causis, ex quibus aliquid existit inconstanter, & rarò. Si enim antiquorum superstitionem excipias, etiam hoc tempore dicere possis, quod est apud Plinium, toto mundo nominari Fortunam, vnam accusari, vnam agi reã, vnam argui, vnam laudari, huic omnia expensa, huic omnia referri accepta, atque in tota ratione mortalium solam esse, quæ vtramque paginam facere videatur.

Quare cum sit omnibus ita persuasum, aliqua esse in rerum vniuersitate, quibus à Fortuna nomen faciendum sit, vt in quæstione tam lubrica, hoc est de Casu, sine casu nos, atque prolapsione versemur, constituamus oportet, illa esse fortuita, quæ, tametsi non expetuntur à nobis, eueniunt tamen, & quidem cum alia omnia cogitamus. Nihil profectò tale cogitabat, qui in Chiorum lapidicinis, saxo diffisso, Panisci caput ita

descri-

descriptum inuenit, vt factum à Scopa existimares. Roga hominem, ecquid causæ fuisse putet, cur id cædendo lapide reperiret; Fortunam illico respondebit.

Quære amplius ecquis ita formarit Panisci caput; auctorem haud dubiè faciet Casum, nec imprudenter. Cum enim Praxitelia capita detractione solùm efficiantur, quidni effici potuerit, vt in Chiorum lapidicinis detractis magis, ac magis stillicidio partibus, ad oris tandem lineamenta perueniretur? Quod si pro Panisco thesaurum offendisset; enimuerò se non tam fœlicem, quàm fortunatum exclamasset. Quid ita? quia, dum de saxo demoliendo cogitat, apparuit aurum, nihil tale quærenti, neque propterea laboranti.

DE FORTVNA generatim, vniuerséque sic diximus; quæ à positionibus excludenda idcircò fuit, atque in hac disputatione ita perstringenda, vt diceremus vnum de tua FORTVNATISSIME REX HENRICE, quem ex tam alto fastigio labori velificantem meo, hæc appellat, atque implorat oratio. Cuius ego Fortunam cum nomino, nihil de virtute, nihil de sapientia, atque consilio, nihil de gloria detractum, aut imminutum volo. Scitum est enim, quod tradunt summi bellicæ rei magistri, optimum Imperatorem non modò altissimi virum consilij esse oportere, sed eximiæ quoque, singularisque Fortunæ: quæ duo in te ita præter morem vnà consenserunt, vt non facile sit constituere, vtrum consilium fortunatius sit, an Fortuna sapientior. Quãtum enim est istud Deus immortalis? bonam mentem cum bona Fortunà, summam Fortunam summa cum clementia coniunxisse? Alijs si Fortuna conceditur; inimica rationi conceditur, atque, vt est apud Pacuuium cæca, bruta, insana, & saxo insistens volubili: Sed quæ tibi concessa diuinitùs est, omnem temeritatem ex-

cludit,

cludit, vnique tibi videtur alas, hoc est inconstantiam suam deposuisse. Aliorum est superba Fortuna, sed nihil humanius tua: cuius vnum videtur opus, ac munus, dare veniam inimicis, vt in tanta tua clementia, quod dixit ille, vnam à te omnes iniuriam habeant, quod eos viuere oporteat ob magnitudinem tuæ liberalitatis ingratos. Iste profectò animus tam magnam Fortunam decebat, animus inquam placabilis, atque tranquillus, animus clemens, ac liberalis, animus excelsus, atque erectus, animus, qui offensiones, iniuriasque parta victoria obliteraret. Elephantes, Leonesq; aiebat Romanus Sapiens, transeunt, quem impulerunt: sed pertinacia, atque in prostratos sæuitia ignobilium est bestiarum, vt intelligas, non esse summæ Fortunæ inexorabilem iram, quæ à maioribus quoque belluis est aliena. Quare fruere nunc ista gloria CLEMENTISSIME REX, vtere tanta Fortuna seruando, quos viceris: neque ab ista prolixitate me vnum exclude, quem vides in hoc portu auram tuæ benignitatis expectantem.

GRATIARVM ACTIO.



EGIS optimi, humanissimiq; præsidio, & vestra (Cardinales) aduocatione ab hoc ingeniorum discrimine tandem aliquando ereptus, ago equidem, quibus tantopere debeo, gratias immortales: sed facio potius omnium more, quam quod existimem tantis viris gratias agi posse pro dignitate: Quicquid enim animo possum aßequi cogitando, nimium quantum & voto meo, & vestra prolixitate mihi videtur angustius. Confugiam ergo ad Stoicorum pronunciata, in eamque me sententiam trahi facile patiar, vt non ingratum putem, qui benigne facientium officia, eorum præsertim, quibus nulla par gratia reddi posit, quadam in accipiendo vultus hilaritate persequatur. Sed quod ad te nominatim attinet CLEMENTISSIME, AC LIBERALISSIME REX, *illa me cogitatio consolatur, quod beneficia fœnerari, priuatæ Fortunæ sit, non istius, cuius liberalitas tantum cæterorum Principum vincit benignitatem, quantum Principes ipsi priuatis hominibus antecellunt.*

